



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

B.mem. Vdalricvs Eberspergensis Dynasta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)

B. ^{mem.} VDALRICVS

EBERSGENSIS DYNASTA.

VDalricus ex regio Carolomanni regis Boiorum & Italiae, sanguine descendit. Sighardus enim caput familiae seu nepos seu pronepos Carolomanni creditur, hunc certè Arnulfus Imperator dilectum suum propinquum appellat, de quo Auentinus ita: *Quando-*
quidem autem de Ebersperga tempus admonuit, ut res postulat, rem paulo altius, quo magis illustris fiat repetam. In confinio Vindeliciae prima secundaque inter Isaram & Oenum Senones sunt, à vico & præcipue fluuio eiusdem cognominis uia dicti: hic infra Mosburgium cum Isara confunditur. Atque hic Vindeliorum pagus, apud veteres clarissimis paruit dynastis, quos ex nobilissimo Carolomanni Boiorum Italiaeque regis sanguine procreatos fuisse reperio. Hi in inferiore Boiaria ad Lauarum amnem Peffenhausen vicum, & millia passuum decem infra patriam meam Abusnam, Langkovaid, & his proximam siluam Schiuerbuech dictam, & Schiuerbach: in superiore, Geisenfeld & Vallatum: Orientali Boiaria Bosenburg, Ibisum, & pleraque alia prædia & castella, quæ recensere nihil est operæ precium, possedere. Sighardus (quem Imperator Arnulphus Cæsar augustus dilectum suum propinquum appellat) perijt in bello Vngarico, sub Ludouico rege Boiorum, filio Arnulphi augusti, anno æræ nostræ 10. CCCC. VII. Ebersperg castellum condidit, cum uxore Gothina Fruxini humatus est. Succedus filius horum Ratholdus ab Arnulpho regulo Boiorum, Charionum limiti præfectus, migravit ex hac vita altero atque tricesimo post fata parentis anno: ipse & uxor eius Angilmunda sepulti sunt Salisburgi in templo D. Amandi. Excipit soboles Eberhardus & Adalbera primi: bello Vngarico, ab orbe seruato, anno 10. CCCC. LV. interfuere, soror eorum Vilbyrga: templum D. Sebastiano in arce Ebersperg construxerunt anno salutis 10. CCCC. LXX. ipsi in paucis post diebus vita functi sunt. Eberhardus absque liberis nempe celebs decessit: Adalbero ex Luitgarde Adalberonem Vdalscalcum, & Vlricum tulit, quem D. Vlricus Augustæ Episcopus aqua lustrica expiauit, ipsique suum nomen fecit. Ambo parentes Vlrici Fruximi conditi esse perhibentur. Vlricus uxorem duxit Richardim, sororem Marichardi Charini, cui Hadmundam sororem suam vicissim nuptum dedit. Illique procrearunt Eberhardū & Adalberonem secundos: Augustinianiis flaminibus collegium Eberspergij instituere. Richardis obiit anno Christi 10. XIII. maritus 10. XIX. sepulti in Ebersperg. Eberhardus connubio sibi iunxit Adelhardim in Saxonia ortam: hi Geisenfeld contubernium sacrarum feminarum dicauerunt
 anno

CID. XXIX
 V. Idm de aias.
 Idem qui supra scriptores in Richarde.

Lib. 8. p. 330.
 Ingelst. edit.

anno à Christo nato CXXXVI. Gerpyrgam Virginum maximam ceperunt, condaoanvere huic templo Langkuuaid, Vallatum, Suerbach. Adalberonis coniunx fuit Richildis ex superiore Boiaria oriunda, soror VVelphonis tertij, ducis Charionum, filia secundi. Quod liberis hi quoque carerent, Ebersperg in a. dem D. Benedicti commutarunt, tradiderèque Monachis inter alia Peffenhau sen, in Austria Bosenburg, Ibijum; hæc quod longius sita forent duci Austriaco longo post tempore circiter æra nostræ annum CIOCLXXX. tribuuntur, propin quiora prædia Conradus præsul recepit. Imperator Hainricus III. Cesar, & rex Boiorum author sit datque diploma Reginoburgij Calend. Ianuar. anno Christi CIOXL. Huius quoque Adalberonis opera Beurn templum locupletissimum ab Vgris exustum ad radices alpium in superiore Vindelicia conditum, cuius cur rator extitit, Monachus, sacrisque Benedictinis (reiectis Augustalibus flaminibus) redditum est. Atque idem Hainricus rex Boiorum Helengerionem præ sulem Tigurinum & duodecim Monachos Tigurinos eo transtulit. Obiere isti coniuges eodem anno, nempe CIOXLV. is VI. Calend. April. ipsa prid. Id. Iunij, in hiscèque defecit familia horum tetrarcharum nobilissima. Hæc ex fastis & diplomatibus Eberspergensium Beurorumque accepta ex fide refero; ibidem huiuscemodi publica instrumenta Cesarum Pontificumque seruantur.

Vera hæc & ordine, de origine regulorum Eberspergensium & propagatione, deque eorundem occasu. Sed his vana quædam & falsa è suo asperfit Auentinus, quæ tres Chronographi peruetusti Eberspergenses, quos curiosius inspectos oportuit, refellunt. Docet Auentinus Sighardum anno post C. N. 10. cccc. vii. bello Pan nonico, quod Ludouicus Arnulphi Imperatoris f. infeliciter gessit, ab Vgris occisum, cum tamen supra cum cæfos Boiorum ductores recenset, Sighardum prætereat. Annales Eberspergenses cum A renbekio testantur sexto post nongentesimum obijisse. Bellum Pan nonicum, quo victus est Ludouicus, ab Sigeberto in IV. ab Her manno in VIII. (non in ipsum nongentesimum, vt nonnulli con tendunt, nam illo quidem anno etiam pugna commissa est, sed non cum illa tam nobili clade) refertur. In supplemento Reginnis annus cladis etiam octauus, vt & à Mariano Scoto signatur: Bato nius quintum notauit. adeo alij quartum, alij quintum, alij septi mum, alij octauum tradiderunt. Sigebertus anno VI. supra non gentesimum: domi sua defunctus Fruxini cum Gotima coniuge sua conditur. Nec in Ratholdi fatali die iustum annum Auentinus attingit, cum scripsit illum altero & tricesimo post Sighardum decessisse, qui inci disse in nonum & tricesimum post nongentesimum, cum non nisi post tredecim annos patrem securus sit, qui fuit 10. cccc. xix. Ex errauit & in hoc Auentinus, quod anno 10. cccc. lxx. ab Eberthardo & Adal-

Lib. 4. p. 480. & 481. M. S. 180.

Libr. 3. pr. pag. 99.

La. ius quinto mor tum affirmat.

& Adalberone cum VVilliburga D. Sebastiano templum conditum aiat, cum id nec ab his tribus conditum sit, sed ab solo Eberhardo positum cœnobium, nec anno 10. cccc. xxix. vel 10. cccc. xxxiv. sed ab solo Eberhardo dotatum, finitumq; vti antiquissimæ membranæ docent. Consecratum demum anno 10. cccc. lxx. opera Vdalrici filij Adalberonis Falsò quoq; scripsit Auentinus Euerardum anno 10. cccc. lxxi. Adalberonem año insequenti extinctum, cum Adalbero cū sorore VVillibirga & conjugē sua 10. cccc. lxx. Eberhardus verò decennio antè mortē obierit. Sed nec in vna quidem pagina vel modum vel finem facit etrandi Auentinus ratus ex aui sui ruditate neminem ex posteris secuturum, qui negligentia errantis posset deprehendere. Refert anno 10. cccc. lxx. ab Vdalrico & Richarde conjugibus, Aurelianis fodalibus contubernium conditum, cū id, vt supra docui ab tribus Ratholdi liberis año 10. cccc. xxix. inchoatum sit 10. cccc. xxxv. perfectum, dotatum autem ab solo Euerhardo. Nec verū ab Vdalrico S. Augustini religiosi illud initiatū, quando Vdalricus Augustinianis bona venia dimissis cœnobium S. Benedicto & eius sectatoribus transdidit, cum illi sedem annos quinq; & quinquaginta ab Eberhardo introducti tenuisset. Vnde refutatur & illud, quod hanc Benedictinæ familiæ permutationē in Adalberonē filium Vdalrici transtulit. quanquā Adalbero & Richlindis anno 10. cccc. lxxvii. euerso castro jã riuo solo cœnobium à fundamentis instaurarint, & in ampliorē formā & spacium excitarent, & rursus S. Benedicto dedicarint. Nec Vdalrico quidē annum mortis justum assignauit, cum illum decimo nono supra millesimū è viuis abiisse existimauit, cum ille deceñio post decefferit. Nec Richlindis vxoris Adalberonis II. justos parētes nominauit Auentinus, qui VVelphonis II. filiā scripsit, adeoq; sororē tertij VVelphonis, cū Rudolpho Sueuorū duce procreata sit, & soror VVelphonis II. fuerit.

Hoc genus sphalmata tam multa tā paucis versibus Auentinus, seculi sui inscitia abusus, comisit, ex quibus lector facile coget, quā diligentia in tota historia sit versatus. Nos ad Vdalricum ab diuerticulo redeamus, cui mira quædam in ipsa pueritia parentum culpa, quā D. Sebastianus emendauit, euenere. Erant Adalberoni parenti Vdalrici liberi omnino duodecim, omnes liberali forma & optima corporis constitutione, virilis stirpis octo, quatuor virgines, ipse Adalbero post fata Euerhardi fratris omnium paternorum bonorū cum VVillibirga sorore ex asse hæres est factus. Euerhardus frater Adalberonis nobilissimus & religiosissim⁹ dynasta cœnobio destinatus Ahaim nobile prædium, quod ab Othone imperatore in virtutis bellicæ præmium, cum octo jugeris acceperat, sed moriturus me-

P

tuebat.

tuebat, ne Adalbero frater, quo cum ante consilium comunicaret, votum hoc præpediret. Itaque accersitum rogare instituit, uti cœnobio destinatum prædium in perpetuum usum attribueret. Sed Adalbero haud ignarus quamobrè à fratre arcessetur, tã diu cunctatus est, quoad Eberhardus animã ageret, ne interclusa jã voce posset germano exponere, quæ cupiebat. Voti cõscia erat Villibirga, utriusq; soror, religiosissima virgo, quæ dudum in preces Euerhardi consenserat. Sed Adalbero defuncto fratre, cœcus avaritia, quod multã sobolè aleret, quæ illi potior erat religione, prædium in suũ usum conuertit, quæ tamen mox cœlestis vindicta profecuta docuit, neminẽ vnquã ex bonis Deo diuisq; & religiosis ædibus dedicatis creuisse, comodũmuc vllũ percepisse. Primum quippe ex duodecim hæredibus illi geminos filios in primis nobiles & formosos, mox trigeminas quoq; virgines morte subtraxit. Sed cum necdũ saperet, amorq; possessionũ & auri studium mentẽ respiscere nõ sinerẽt, progressũ ad vltiorẽ pœnã numen, Vdalricum id temporis septennẽ præter propter, puerum delicias vnica Adalberonis patris, quod & innocentia pueri ex oculis & vultu promicaret, & habitu oris esset tenerimo & flore corporis gratiãq; formæ omnes præsertim parentes ad sui amorẽ prolectaret. Hunc inquam Vdalricum, quẽ D. Vdalricus sanctissimus Vindelicorũ antistes vel sacro fonte tinxerat, vel certè inde leuarat, cœpit Deus variis morborũ generibus tentare. Ille sensim contabescere, adeoq; à priore pulchritudine & gratia degenerare, vt nõ hominẽ amplius sed monstrum hominis referre videretur. Quæ res ad eò patrẽ afflixit, uti quoties puerum respiceret, ipse in ruborem daretur: & si quis hospitũ aduentaret, Vdalricum e conspectu hominũ procul amoueri & in secretũ conclauẽ detrudi abdiq; juberet. Sed necdũ quidẽ videbat cœcus pater, quid causẽ esset quãobrem itã cum ipse, tum innoxia ætas pueri affligeretur, quoad soror Villibirga fratrem verbis acerbis aggressa. Quid, inquit, hoc est rei, frater, tui te miseret filij, tui ipsius te nec miseret nec pudet? quousq; tandem te ipsum non respicies & respices? an expectas donec te cœlum fulmine elidat, aut ima tellus dehiscens te viuẽtem vidẽtẽq; hauriat? Prædium Ahaim teq; meq; conscijs Euerhardus germanus noster sacræ ædi & cœnobio addixit, vt inde oleum æternis ignibus sufficeret, sacri thuris odores aris incenderentur, viniq; lactex religiosus propinaretur. Tu hæc omnia quibus jã religiosa domus fruebatur, per fœdam avaritiã & turpissimas sordes tuas subtraxisti, atque in profanum usum conuertisti. Subtraxit tibi vindex numen in pœnam, quinque liberos, non sensisti; sextum omnium pulcher-

rimum

rimum & tenerrimum in prodigium & portentum deformauit. Non aduertisti. Pertuum sanguinem Deus sc̄uijt, vt te sanaret; innocentes rapuit, vt te tibi restitueret; pulcherrimi filiorum formam corrumpit, vt corruptum auaritia animum tuum ad suum splendorem reuocaret. Non vides, adeoque sentis irati Numinis vindictā? nōnne mox sortem & vsuram solues? ignoras malē parta male dilabi? quid moraris infelix? an nondum etiam ad mentem redis? respisce miser tandē, respisce, antequam te grauius è cælo fulmen sternat, & stratum ad ima tartara detrudat. Capesse consiliū, quod tibi bona mens per me sororē fratri fidum, non importunū dicit. Nunquā prouidentia Numinis puerū tot malis conflictari permisisset, nisi te reum, per illum innocētē voluisset ad mentem & officium reuocare. Quotquot enim ab Vdalrico Augustano pontifice sanctissimo vel vnda cælesti abluti sunt, vel quacunq; fausta impetratione impertiti, nunquam grauiore casu tentati sunt, imò verò sapius à grauissimis malis recreati, quod experta testor, cum ego eundem antistitem apud D. Gallum Heluetiorum vbi à paruulo educabatur adhuc puerum conuenissem, obnixēque rogassem, vt mihi jam edentulæ & amitæ acutissimis capitis doloribus grauissimè vexatæ suis votis succurreret, vt plena bonæ spei in Boiariam redirem, subridens præcepit, voti compotē futuram. cum ecce dum viam, qua venerā remetior, & omnem capitis morbum profligatū gaudeo, & inermes malas, tanquā infantulæ præter naturæ modum dentire rursū & renasci sentio. Saluus ergo & filius tuus fuisset semper, nisi tua culpa malum illi creasset. Proinde redhibe quæ sacræ D. Benedicti ædi subduxisti, & nobile prædium Athaimianum aut ipsum restitue, aut pari precio redime, filiūque D. Sebastiani aris, quæ sacræ capitis exuuiæ seruantur, cum anathemate votoque infer, & planissimè intelliges, vnde tot funera liberorum & Vdalrici tabes ac deformitas, vbi fuerit juratus, extiterint, damnatæque improbitate tua filij recipies sanitatem. Admisit Adalbero tam salubre sororis consiliū, & facti propè serò poenitens, omnem tamen spem in numinis clementia reposuit, sordes animi per confessionem expiauit, & prædium Athaimianum Teisinga duobusque fundis Huntibachensibus permutauit. Puerum ipse suis manibus gestans summo altari, quo D. Sebastiani calua condita erat, plenus jam spei & fiduciæ imponit, trigintaque aureis redemit, sponsione facta curaturum se si sibi filius restitueretur, vt nomini eius, ipsi inquam D. Sebastiano tota ædes initiaretur, & totidem

aurei dum ipse superstes esset, quotannis offerrentur eaq; religio in omnem posteritatem transmitteretur. Non surda fuere preces Adalberonis. Vdalricus mox coepit conualescere: rediit vigor in corpus, forma melior etiam primâ honestavit vultum, purpura florentes depinxit genas, vires auxere, fama prodigij mox in omnem viciniam sparsa passim alios atque alios ad D. Sebastiani cultum excitavit, primumque fuit hoc inter Sebastiani opera, quibus celebritatem meruit, quæ postea ad eam frequentiam & magnitudinem excrevit, ut deserit nunquam, hodièque ita viget, ut multi sæpe sacerdotum confluentium peregrinorum & peccatorum sarcinas ponere volentium pietati non possint satisfacere, quamvis noctes etiam diebus jungant. Atque hæc Vdalrico puero vsu venero, cui quindecenni ferè sed jam bene firmo & nobilissimo adolescenti pater, raptis omnibus liberis, vsque ad Vdalricum Adalberonem, Vdalscalcum & Hademundam, castrum Eberspergensense commisit.

Anno id. cccc. lxxix. ipsis Calend. Ianuar. V Villibirga virgo nobilissima, amita Vdalrici ad æternos sponsi sui thalamos evocata est. Hanc secutus eodem anno III. Idus Septembr. Adalberon cum Leukarde conjuge, quæ ante d. i v. Calend. Nouemb. decessit. Omnium corpora Frisingam in ædem D. Virginis delata & sacris piacularibus ritu solenni factis animæ Deo, corpora terræ commendata. Pro omnium salute Vdalricus pagum Reifen partim cœnobio, partim Frisingensi ædi præter duos nobiles fundos assignavit.

Vdalricus ubi parentes eluxit anno id. cccc. lxx, cum octauum decimum circiter ageret annum Marquardi Carantanorum reguli filiam Bichardim in thori sociam ex lege sociavit, vicissimque eiusdem filio Marquardo Hademundam sororem suam nuptum tradidit. Sed hic scrupulus mihi non exiguus objicitur, cum scriptores Carinthiacos ac Austriacos cum nostris compono. De Richarde enim omnibus convenit Marquardi Carinthiorum dynastæ seu marchionis filiam fuisse, eamque Vdalrico Eberspergensis nuptam: sed temporum ratio vehementer his nuptis repugnat. Nam pater Richardis anno c. id. lxxiii. Caranthanorum Dux creatus est ab Henrico IV. Augusto, cum Richardis filia coniunx Vdalrici ante sexaginta prius annos mortua in membranis Eberspergensibus tradatur, anno inquam, c. id. xlii. cum sexagesimum jam excessisset, ad eò ut patrem c. id. lxxiii. jam centum & triginta quatuor annorum fuisse oporteat, cum dux Carinthiæ est factus, quibus si quadriennium addas, quo superuixit.

*Hierm. Meiser.
v. v. l. 1. 2. 7. Sæpe
laudati.*

peruixit, perueniet ad centesimum trigessimum octauum, quod illis etiam seculis prodigij loco est, nec veri quoquo modo simile. Nec Vdalricus Richardis maritus Henricum non dico quartum, sed nec tertium viuendo attingit, nono & vigesimo supra millesimum defunctus: quamuis Auentinus decennio prius tradat extinctum, quinto decimo post millesimum: Lazius quadriennio ante Auentini annos.

Hunc vt mihi & lectori scrupulum eximã, conjecturã sed propè certã vtar; non hunc Marquardum Carinthiã Ducem ab Henrico IV. creatum ab historiographis vetustioribus accipi, sed ex eadem familia priorem aliquem, qui sub Othonibus vixerit: Lazium & Megiferum procul vero exerrasse, qui proximum & propinquum Henrico IV. acceperint. Alterum est, Ab Lazio illud de Villibirga amita Vdalrici miraculum referri non ad S. Vdalricum, sed ad ipsum Vdalricum Eberspergensem, hunc, inquam, quo de hinc disputamus. quem ait apud S. Gallum à puero educatum, quod ad S. Vdalricum erat referendum. vt manifestarius sit error Lazij. Quod & ex membranarum Eberspergensium vetustioribus & Arenbekio exerte constat. Sic enim iste: *Amita eius (Vdalrici) non Diui, sed Adalperonis filij, Villiburgis etate plena, soror Adalperonis sic ait, Indubitanter nostris exigentibus peccatis ipse puerulus sospitate est priuatus, cum omnes ab infula*

Lib. 7. de migr.

to Vdalrico aliqua benedictione sacriati gaudeant integro sensu & corporis sanitate. Nam vt de ceteris suis Vdalrici Eberspergensis fratribus taceam, cum ego eum adhuc adolescentulum S. Vdalricum in monasterio S. Galli ubi nutritus est, visitans orarem, vt mihi edentule amite sua & ex parte carente dentibus miseretur, quæ senio affecta nimio dolore dentium & capitis intolerabiliter ego misera perurgebar. Ille aliqua velut ioculatoria verba adhuc respondens ait: Tandem ad tuam remeare debes patriam, sciens, quod tua petitio felicem efficaciam assequetur. Iuxta cuius dicta mihi repatrianti de Suenia in Bavariam dentes mihi contra naturam veterana succrescunt, & maior quam antè capitis mei sanitas abinde perseuerat. Unde scio quod episcopale baptisma, non paruam conferret ei prosperitatem, si delictorum nostrorum enormitas non obstaret. Discrepat Arenbekius etiam in priore narratione à membranarum. Mihi prorsus certum est S. Vdalricum puerum apud S. Gallum fuisse educatum. Vdalricum Eberspergensem nusquam legi (nisi in hac narratione, malè fortasse per textum) apud S. Gallum fuisse: amite tamen nomen, quod non nisi ad Vdalricum Eberspergensem pertinet, rem dubiam non immeritò facit. Nec enim Villiburgis S. Vdalrici episcopi amita fuit: Et difertè amita ab Vdalrico puero dicitur sanitate & novos dentes impetrasse. De Vdalrico

Vdalricus Eberspergensis

Cap. 17. § 1. 2. 1. porro, in Eberspergensibus chartis recentioribus, ista sequuntur. Vdalricus autem Comes Eberspergensium dynasta factus, in ipsis licet sua administrationis initijs, haud immemor magni illius in seipso patrati à Deo per venerandas D. Sebastiani reliquias, ad aram templi summam, miraculi, ob idque facti à parente suo voti cum soluendorum ad aram in annos singulos triginta aureorum, tum D. Sebastianum constituendi primum post Deum ac D. Virginem totius templi patronum, de hoc uno ac solo summe fuit sollicitus, ut utrumque parentis votum quamprimum solueret. Verum ab Episcopis Fruxinensibus Lamberto & Abrahamo, huius loci Ordinarijs nullis precibus obtinere potuit, templum eiusque aras quinque, ut Deo ac Diuis illius sacrarent. Quum Episcopus annum circiter lxx. precibus Vdalrici defatigatus penitus, impie abiurauit, hoc templum vel unquam à se consecratum iri: in causa fuit, quod Henricus II. Boiorum dux, Henrici I. Ottonis M. fratris filius olimpius, postea rixosus appellatus, Ottoni II. primi filio Romanorum regi patrueli suo rebellans, magnatum quorundam impijs persuasionibus seductus moliri noua cepisset, iamque in suam sententiam attractis Abrahamo jam dicto praesule Fruxinensi Charinorumque praeside Conrado duce cognato suo, nec non alijs pluribus solo Vdalrico Comite nostro illis refragante & ab Ottonis partibus stante fideliter, regnum Romanum affectaret. Quare Vdalrico offensissimi hi omnes vindictaeque cupidissimi, eum pluribus quidem praelijs attentarunt, & incursum petierunt frequentius, iustitia tamen praeualente semper, vincere nunquam potes fuerunt, quin victi ab eo abscedere, & fuga sibi consulere coacti fuerunt, vel opilione Christo tum quoque loci huius & castri propugnatore fortissimo. Eo tamen dementiae Henricus rixosus tandem deuenerat, ut se, stultissime licet, regem appellitaret, adeoque à praedicto Episcopo Abrahamo Reginoburgi ad D. Emmerammi in regem inungi faceret. Quo tamen audaci facinore suo compulit Ottonem, ut is conuocato procerum consilio Henricum ipsum rixosum ad se euocatum una cum Abrahamo pontifice relegaret in exilium, hunc quidem

Corobiam.

Cap. 18.

illum vero Ingelheimium. Qui tamen Ottone in edomandis Cimbris occupato custodia elapsi & in Boariam reuersi contra Ottonem se communiuerunt. Verum ennuero quod ad templum attinet eius consecrationem quam abiurarat Abrahamus à se vel unquam futuram, is ab alio eam fieri ut concederet, Deo mirabiliter disponente, coactus fuit. Accidit enim uti is cum duce Henrico illo rixoso ab Ottone proscripso, & pro hoste reipub. iudicato, Boaria denuo exacti, fuga ad Charinos abierint. Unde Ottone in Bohemia versante iterum in Boariam regressi cum essent, factum est ut Fruxini ab Vdalrico Comite nostro uterque dux, Henricus Batus, & Charinus Batauae opido obsessi & capti ab Augusto victore Augustam Treuirorum in exilium relegati, ibi in vinculis constricti tenerentur.

Quare

Quare Henricus Boiorum dux spem inter ac metum haerens de exitu rei sollicitissimus, D. Materno Episcopo singulari patrono suo, supplex pro praestando sibi auxilio factus, per quietem sibi videre visus est eundem Maternum, sibi in hac ferè verba loquentem: Certo certius tibi Henrice, persuadeas velim, teque tuosque hisce haud prius vinculis solutum, periculisque exemptum iri, quam Deo supplices voveritis, vos liberatos rectà Eberspergam concessuros, ibique ad aram sancto Stephano protomartyri assignatam in qua mearum quoque reliquiarum inclusa continentur aliqua particula cliententes vos affuturos pijs cum munusculis, quodque caput est, cum Comite Vdalrico pacem & amicitiam perennem inituros, & templi illius dedicationem haud amplius impedituros. Quae quidem D. Materni responsa non vana fuisse, nec gratis dicta felicissimus illico probavit euentus. Voto namque ab eis iuxta praescriptum S. Materni facto, miraculose sanè solutis vinculis & custodia liberati, rectà Eberspergam concesserunt, ubi postquam ad aram S. Stephani in genua prouoluti Deo ac D. Materno grates egissent, vota quoque sua soluisent, Henricus Boius ad aram summam D. Sebastiano magnam pecuniae summam obtulit, & nouem eatenus mancipatos sibi famulos eidem condonauit. deinde cum Comite Vdalrico pacem & amicitiam perpetuo duraturam mierunt. Cui Abrahamus insuper Episcopus liberam fecit potestatem undecunque vellet Episcopum euocandi, pro templi consecratione facienda. Posthaec Henricus uterque & Abrahamus antistes Ottonem pertumescentes, fugà denuo ad Charinos facta sibi dicuntur consuluisse. Vdalricus igitur Comes voti tandem compos factus sui, gestiens letitia, sibi de tam diu desiderata & exoptata ab Abrahamo facta potestate gratulatus, primarios statim aliquos aulae suae viros ablegat Salinoburgum ad reuerendissimum, ut loquuntur, dominum Fridericum, eius tum loci Archiepiscopum, obnixè flagitans, ut quam posset primum Eberspergam venire, concessaque Abrahami praesulis Fruxinensis templum jam olim ab Euerhardo patruo suo Deo ac Diuae Virgini ante annos XLVI. extructum, necdum sacratum, licet duobus jam à Deo per D. Sebastianum atque Maternum Episcopum patratis miraculis collustratum Deo trino & Vni, Virgini Deiparae & inter Diuorum reliquos, sancto imprimis Sebastiano suae cum vitae, tum incolunitatis unico post Deum auctori & restauratori, una cum ara & sacello S. Stephani dedicare ne grauaretur: id quod Zelo domus Dei exestuant, veraque in Deum ac Diuos pietate flagrans antistes, eo quoque fecit lubentius, quo certius sibi jam dudum persuaserat, hanc basilicam jam ante mirè gestis claram satis, licet profanam adhuc post consecrationem fore longè clariorem & celebriorem. Quare XIII. Cal. Febr. ab eodem archimysta Friderico magna cum pompa & celebritate, & incredibili bonorū omnium congratulatione facta est totius templi & arae summae dedicatio in honorem sacrosanctae Triadis

ceum loci huius opilionis & S. Crucis Mariae Virginis Deiparae, uti patrona tutelaris, & D. Sebastiani martyris, tanquam valetudinis Vdalrici recuperatoris & omnium aegrotorum auxiliatoris fidelissimi, ac praecipui inter reliquos duorum & templi patroni & loci. Porro praecipui cuiusque altarium patroni, praeter sanctam Trinitatem & D. Virginem sanctamque Crucem fuerunt summi quidem SS. Sebastianus Martyr, Martinus Episcopus & Confessor, Vitus, & Cyriacus presbyter martyres: alterius retro summum S. Iohannes Evangelista: tertij extra cancellos chori, in medio, Sola D. Virgo Maria: quarti ad eius dexteram, omnes sancti & sanctae Dei: quinti ad sinistram eiusdem D. Petrus Apostolorum princeps. Novi autem sacelli & ara illius S. Stephanus protomartyr, & D. Maternus Episcopus & Confessor. Quod autem praeter praedictorum patronorum etiam plurimum aliorum sanctorum sacrae reliquiae singulis aris ab Episcopo inclusae fuerint, certissimum quidem est, at quae & quales incertum. Priusquam vero haec aedes Deo ac Diuis jam dictis dedicarentur, Comes Vdalricus more Christicolis solito, templo in dotem dedit viculum Kouothartespargam, nunc Hormansdorf dictum, cum mancipijs ac ceteris omnibus, ipsa donationis die, in quacunque utilitate propriae ad eam pertinentibus. Eidem insuper templo ac monasterio idem Comes attribuit praedium Ottakerspurg cum omnibus suis pertinentijs, hoc est agris, siluis, pascuis, pratis, hac lege, ut sine omni contradictione cederet statim in usum perpetuum religiosorum hic Deo ac Diuo Sebastiano ministrantium. Praedium item seu mansum unum in viculo Seun, cum id genus pertinentijs est piscatione lacus Seunensis. Duos insuper mansos pagi Holzhusen, ad Wirmsee Lacum & dimidium mansum unum in Perchouen, quae etiam communionem piscationis, per totum illum lacum, eam solum parte excepta, quae in particulari ad vicum Tulzingen erat determinata. Vota vero olim pro se ab Adalberone parente facta D. Sebastiano, de offerendis ad eius aram aureis triginta in annos singulos, is quoque dum vixit, soluit diligentissime. Sub finem vero vitae id ipsum ut faceret diligenter suus natu maior filius Adalbero, quam diu superstes foret, eidem iniunxit serio, & ob eam rem illi castrum Eberspergense & diues illud praedium Ahaim assignauit, ut infra dicitur.

Porro circa hanc templi consecrationem dupliciter hallucinati sunt quoque nostri chronographi. Primum in causa abiurationis praesulis Abrahami: deinde in anno dedicationis. Abrahamus enim Episcopus templum a se consecratum in iuramento denegat Vdalrico Comiti ob fidelem operam, quam in modo praedicto nauarat contra Henricum Boiorum Ducem Ottoni II. non ut ipsi scribunt Ottoni III. Imperatori seu regi adhuc puero. Hic etenim secundum omnes fere historicos parenti Ottoni II. anno LXXXII. Romae vita functo subleuetus fuit puer, nisi fallor, duodecennis, qui ergo fieri potuisset, ut consecrationis templi permissio Vdalrico ab Abrahamo Episcopo facta, quin & ipsa templi consecratio contingerit anno LXX. cum tamen causa praecedentis illam abiurationis Abrahami

hami post tredecim primū annos orta fuerit, ex fidei opera ab Vdalrico, ut scribunt præfita Ottoni III. adhuc puero. Sed decepti boni viri videntur in eo quod legerint apud historicos, Ottonem II. Romæ defuncto de substituendo rege diffensionem esse factam inter proceres, alijs ex odio in Imperatricem ab eius filio imperium transferre volentibus ad Henricum II. Boiorum Ducem prædictum: alijs filio Ottonis II. Ottoni III. puero duodecim annos nato regnum deberi certantibus. Eoque intellecto Henricum Boium Coloniæ Agrippinam peruenisse, & puerum Ottonem, qui ibi educabatur ab Episcopo fraudulenter subreptum in custodia tenuisse, seque Augustum appellauisse. Puerum verò junctis omnium fere dynastiarum copijs Henrico denuo ereptum & in regnum sublimatum fuisse Aquigrani. Henrico verò regionomine semet abdicanti suum Boiaria principatum esse restitutum. Quare fidelem operam illam ab Vdalrico Ottoni III. præstitam opinantes errauerunt. Fieri quidem potuit, ut Vdalricus Ottoni III. auxilio quoque fuerit contra eundem Henricum, sed anno LXXXIII. primū, templo Eberspergensi jam dudū consecrato, anno videlicet XXIV. die XII. Cal. Feb. DD. Fabiano Pontifici & Sebastiano patrono nostro, sacro, quo forsā jã inde multo tempore anniuersaria etiam dedicationis commemoratio celebrata fuit, vsque ad secundam eius reedificationem & consecrationem factam intra annos CID. CCC. VII. & XI. patrocinium verò quod vocant cum ara summa, tum alterius cuiusque celebratum ad hæc nostra tempora vsque fuit die festo primarij cuiusque patroni. Credibile est autem plures Christi, Mariæ & aliorum Sanctorum reliquias, Comiti Vdalrico postulanti, huc e diuersi, locis ad festum dedicationis, Roma præsertim transmissas, donòq; datas fuisse, maxime post euulgata illa duo à Deo per D. Sebastianum & D. Maternum patrata hic ad aras eorum profanas adhuc, miracula in principibus personis, ipso Comite Vdalrico olim Henrico Duce Boiorum, nec non Abrahamo Episcopo nuperrime: quas deinde Vdalricus gemmis, auro & argento exornatas fecit asseruandas, peregrinis ostendendas, & ab omnibus publice venerandas, festis celebrioribus, aris superimpositas. In primis verò Cranijs S. Sebastiani argento subduci inaurato & statuæ pectorali argentea, auro & lapillis preciosis affabre distincta includi eo, quo vel nunc quoq; oculis vsurpare licet, voluit; profaciendo ex eo haustulo vini, ceu potiuncula contra toxica epidimie præsentissima olim forsā à Christo opulione facta vni petitione insinuata. E uoluto post dedicationem templi biennio Hunefridus ille vir doctus pius & sanctus, olim Augustinianorum Præpositus, isque primus templi hic ac monasterij parens post Deum, & auctor, tum homo priuatus natura concessit. anno videlicet LXXV. II. At LXXXI. Veginpoldus III. Augustiniana familia Præpositus obiit, cui successit Guntherus. Anno autem LXXXI. I. hinc ad caelos migravit S. Vdalricus antistes & Otto II. Imperator. Verum enim uero Comes Vdalricus videns basilicam patronumq; suum D. Sebastianum miraculis à Deo magis magisque dies collustrari, peregrinantium huc & supplicantium numerum augeri, templum anathematis &

oblationibus ditari, tam egregia populi erga Deum & D. Sebastianum pietate, & singulari erga hunc locum affectione commotus, in id unum ac solum omnia sua consilia & cogitationes intendebat, ut quocumque posset modo hac eadem magis adhuc promoueret, & auctiora redderet. Canonici porro regulares canobij, tum incola religiosi, pacis & tranquillitatis, nec non contemplationis caelestis amantiores sepius ab illo pacificam hinc in eremum discessionem expetierant. Quare eo facilius tam pie illorum tandem petitioni acquieuit fecitque satis, quo magis sanctimonie laude, vite integritate, pie conuersationis suauitate, ac bono, quo flagrabant apud omnes, odore prestantissimorum tunc religione virorum, Deo sub regula D. Benedicti, commilitantium allectus fuit, ut eos aliunde huc euocatos introduceret. Re itaque prius bene considerata, de magnatum plurimorum consilio & impetrato ad hoc, tum sui, tum summi pontificis consensu, a. no ab orbe liberato 10. cccc. xc. Gunthero quarto D. Augustini consecratorum hic Preposito, cum tota sua sacrata familia, qua hic Deo ac D. Sebastiano lxxix. annis fideliter inseruierat, pacifice & cum magna gratia dimissus in eremum, canobium simul ac templum eorum Ordinis D. Benedicti religiosi aliunde huc accitis pleno cum iure attribuit, una cum omnibus ad ea spectantibus bonis ac privilegijs, summotum pontifice Ioanne xv. Episcopo Fruxinensi Abrahamo supra dicto, Imperatore Ottone III. & Boiorum Duce adhuc Henrico II. His e varijs monasterijs huc conuocatis & coadunatis jam Monachis in primum abbatem dedit reuerendum dominum Reginpoldum huc quoque Augusta Vindellicorum vbi praesulem ad D. Vdalrici vigilantissimum egerat, euocatum.

Anno deinceps xc. diem suum obiere duo illi Henrici Boiorum & Charinorum duces, nec non abrahamus Fruxinensium antistes. Anno autem c. i. excessit e vita Otto III. Imperator, cui successit Henricus III. Boiorum dux, Henrici II. filius: a quo, eodem adhuc anno Reginpoldus huius loci abbas hinc denuo auocatus & abbatia Lauresheimensi in Franconia praefectus fuit. Reginpoldus vero priusquam hinc abiret, Ailmannum Monachum tunc xviii. aut summum xx. annos natum sibi substitui voluit, id quod tamen Comes Vdalricus non concessit, licet auus illius fuerit, sed administratorem eius interim loco, dum annis cresceret, constituit. Subidem fere tempus uterque Vdalrici filius viginti & plures annos natus uxorem duxisse fertur. Adalbero II. matrimonio sibi copulatam accepit Richlindem seu Richildem (Auentinus Richitam vocat) Rudolphi Sueuorum ducis filiam, sororem Guelfonis seu VVelphardi II. Charinorum praesidis. Quae sterilis cum esset, una cum marito in filium coepitavit puerulum quendam egregia tum forma corporis, tum ingenij indole praeditum, cui nomen erat Conrado, ex inopibus quidem, probis tamen & honestis parentibus prognatum, qui tamen adolescens obiit.

Euerhardo autem nupta fuit Adelhaidis virgo e Saxonia oriunda. Ex qua tres filios, quorum vni VValtherij nomen fuisse ferunt, & unicam filiam VVilli-

Willibirgam II. suscepit. qui tamen filij in sua adolescentia denuo nature concesserunt. Willibirga autem cuiusdam mortalium nupsit, nusquam facile licet reperire, ex thoro tamen legitimo eam genuisse constat tres filias Hademundam II. Leukardem II. & Gerpigam: quarum prima nescio cui Comitum iuncta connubio ex eo conceptum filium in hanc lucis auram enixa est Vdalricum: At secunda maritus fuisse dicitur Vergandus Comes de Mospach: tertia demum Deo castitatem vouit, monasterium ingressa, quam & mater secuta fuit. de horum singulis inferius suis forsitan locis si videbitur, plura.

Vdalricus igitur videns sibi ex filijs filiabusque suis nullam prolem esse aliam prater proneptem Hademundam filiam Willibirga neptis suae ex Euerhardo filio & pronepotem Vdalricum ex Leukarde II. eiusdem Willibirga filia altera, de ulterius propagando tam illustri stemmate suo perquam sollicitus, pro feliciore deinceps nepotum ac pronepotum suorum successu, & ut Deus sibi ac posteris suis D. Sebastiani interuentu concederet, absque peccato sepius iam dicti illius praediuitis praedij seu vici Ahaim, quod olim patruus suus Euerhardus eidem sancto pro diuinis seruitijs deuouerat, & cuius in ipse Vdalricus inique detentionis ab Adalberone parente suo facta penas grauissimas luerat, usum, ad vitam, eidem Sancto attribuit praedia seu vicos Seun & Ottakerberg, item Ecclesiam dotatam cum decimis villa seu pagi Neukirchen & duos mansos ad Huntibach seu Humelbach. Cum vero ne sic quidem voti sui compotem se fieri posse animaduertisset, peccatis ac delictis suis imputauit, quod minus a Deo exaudiretur. Quare toto nisu in Dei se amorem tradens elemosynis redimere & de mammona iniquitatis amicos sibi facere, qui se aliquando ad aeterna habitacula reciperent, statuit. Quidquid ergo in pecunijs habuit, monasterijs & pauperibus distribuere & postea inops ipse egenis ministrare, quin mundum quoque & quicquid in mundo habebat, derelinquere & iuxta exemplum Hademundae I. fororis olim suae peregre proficisci voluit, saltem post obitum coniugis suae. Quae omnia procul dubio omnino fecisset nisi vir quidam laicus, Adalgero dictus sanctimonie tum laude percelebris illi tam serio hoc suum propositum interdixisset. Diuinitus namque sibi reuelatum asseruit, longe Deo gratius illique salutaris fore, si ex bonis & pecunijs suis assiduo & in annos plurimos pauperibus elemosynis succurrere, quam vel uno tempore aut anno omnibus diuitiis & in egenos distributis, reliqua vita sua nihil amplius habere reliquum, quod in eiusmodi pauperibus erogare valeat. Cuius tum sancti viri verbis ac monitis, quin reuocato a proposito animo suo acquiesceret aliter nec voluit, nec potuit.

Quae porro de morte Richardis sequuntur, iam supra in ipsa Richarde exposuimus Pergunt chartae:

Coniuge igitur vita jam functa Comes Vdalricus ultra quam dici potest lactu, squalore ac marore doloreque animi affectus, conuocatos ad se filios suos
hunc

hunc ferè in modum adhortatus est: Dubius ego miser, num vos ultra confite-
 turus sim unquam, de aliquibus vel maxime monitos vos velim. Primum
 quidem ut memori semper mente repositum teneatis obitus ac depositionis diem
 matris vestrae, imò & mei aliquando parentis, in fundendis ad Deum pro nobis
 pijs precibus, elargiendis illis annuis a matre fundatis & etiam vestris proprijs
 eleemosynis, procurandis sacris & alijs id genus pietatis in parentes operibus exer-
 cendis. Sic enim Deum habebitis, imò reddetis & placabilem & exorabilem.
 Multi quidem mortalium apud homines gratiam inire desiderant, & quantum
 possunt, sui post se memoriam in mundo relinquere. At vos, si y suaussimi me-
 mentote gratiam hominum memoriãque mundi prorsus esse nullam. Quid
 enim prodest homini stulto post mortem mundum sui meminisse, si sit in loco dam-
 nationis & pœnæ? Quid iuuat laudari in mundo ubi corpus jacet mortuum, &
 caro absque sensu? ubi enim sensus sunt hominis, ibi & homo sit oportet, & ubi
 sensus nulli, ibi & homo nullus. Quid verò confert corpus emortuum vnguen-
 tis preciosissimis in ungi & aromatibus condiri ad sepulturam, si animus horren-
 dum torquetur & perpetuis oppletur fœtoribus in inferno? Quare vos potius a-
 pud Deum gratiam inire vestrique memoriam relinquere satagite. Hæc enim
 perpetua est apud Deum & homines in terris & in celis, apud angelos & sanctos
 Dei, nec vlla unquam obliuione deleri potest. Denique regi vestro cauetene
 rebelletis, nec ipsum tamen ad domos vestras quocumque modo aut ratione inui-
 tetis, aut vocetis, nisi bona vestra & opes, quæ honorem quoque & gloriam ma-
 le perdere velitis. Horum itaque omnium sæpius vos memores fuisse iuuabit.

Ipse verò Vdalricus jam inde à paschate, quo ex hac vita discessit, conuix
 illius Richardis, non solum ab esu carniū, lautitia ciborum & potus, venatio-
 nibus & aucupijs, sed etiam à verbis otiosis omnibusque mundi delicijs, iocis, &
 gaudijs penitus abstinuit, celestibus tantum desiderijs & gaudijs affluere gestiens
 quàm maximè. Unde aduersa prosperis longissime antetulit. Quare cum ex
 oculo sinistro aliquando laboraret grauiter, nihil omnino medicamenti aut leua-
 minis adhibere voluit, potius cum sancto illo patre hîc à Deo scindi, vris, exuri
 cupiens, quàm ibi cum potentibus potenter torqueri.

Præter hæc illud mihi hîc obseruem temporis notandum occurrit, quod au-
 nõ ab orbe redempto CIO. XXVI II. Conradus Rex Francorum ex voto Ebersper-
 gam cum venisset, D. Sebastiano ad eius aram pro solutione voti arcam unam
 cum duobus agris ei adiacentibus in Tandorf sitam attribuit.

Cap. 25

Anno deinceps XXIX. supra CIO. contigit quodam tempore re Vdalricus
 Ebersperga in castro cum sederet, & cum suis familiaribus sermocinaretur, de
 succrescentibus in dies huius mundi malis, subito S. Sebastiani templum & aram
 & aram inuixus genibus inclamaret dicens, Quamquam ante hæc sæpius in-
 muerim, summumque animi dolorem conceperim ex eo quod nullam mihi prolem
 ex filijs meis prognatam videre licuerit, serôsue nepotes sperare, eamque ob rem

anxius

anxius nimium & sollicitus, pro vltiore generis mei propagatione, votis ac precibus Domino Deo meo & tibi, S. Sebastiane, martyr inclite, meae cum vita tum incolumitatis post Deum restaurator vnice, humillime supplicauerim; nunc tamen grates vobis immortales ago, quod minime à vobis exauditus fuerim, quin prioribus etiam orbatus haecenus vitales spiritus duxerim. Ceteris autem huius rei causam indagantibus, respondit. Si etiamnum res humanae, nec non opes ac diuitiae ita forent constitutae, vt sua quisq; retinens iuste ac pie in pace & animi tranquillitate viueret, gauderem quidem, si Deus ter Opt. Max. procreationem proli & longam nepotum seriem concessisset. Quia verò hac nostra tempestate vbiq; succrescentibus dolis ac malis innumeris, vel ignominiose viuere, vel iniuste agere quemuis ferè sit necesse, malomulta prole ac seris nepotibus carere, quam eos vel sine honore, vel extra Dei gratiam positos videre. In causa sunt euentura sequenti generationi, eamque oppressura maioris infortunij mala. Quamdiu Romani Principes cunctis gentibus ac terris imperarunt, tanto legum scriptarum moderamine & praescripto cunctos rexerunt vt nemini cederet impune factum lege prohibitum quodcunque, omnium causas actionum iuxta normam solum ac regulam legis suae metientes & decedentes. Germanorum autem regno à Romanis ad nos translato, vbi praeccepta legalia cessauerunt, Sigebertus & Theodoricus, ac postea Carolus, iura dictare coeperunt. Quae si quis nobilium generosorum aut illustrium discere ac nosse neglexisset, summa id illi ignominia maximoque dedecori apud omnes fuisset. Unde & me & coetaneos meos vel peritissimos horum videtis. Moderni autem parentes filios suos iuris prudentiam docere negligunt penitus. Unde continget aliquando, vt vera sinceraque iustitia in exilium relegata, mendoso jure & fallacibus opinionibus suis inuixi, pro suo libitu ac voluntate quousque viuant aut justos opprimant, aut ex lege temeritate sua de rebus & causis iniquissime iudicent.

Breui post tempore Guntherus ille qui olim quartus Augustiniana familiae sacrae praepositus, vna cum suis hinc ad eremum abscesserat, anachoreta factus, ex instinctu diuino Vdalricum Comitem vbi conuenisset, post habitam cum eo de secretis rebus colloquutionem, ipsum rebus vt suis quam posset optimè prospiceret, seruo admonuit. Fore alioquin praedixit, vt post suum ex hac vita discessum, qui non ita procul abesset amplius, praedia eius ac bona è pluribus aggregata, minime in suos partirentur, sed ad manus alienas deuentura essent. Quare conuocatis quamprimum filiis & cognatis suis horum natu maximo Adalberoni castrum Ebersperpense assignauit hac conditione, vt cum ipse, tum vxor eius & posteri iuxta fundationem matris defunctae Richardus ex cuius bonis eleemosynas illas panum, carniū & ouorum anni singulis in pauperes distribui diligenter sibiue & matri, nec non toti familiae suae illustri vita sanctae, annuam depositionis obitusque diei commemorationem solenni sacrosimum vno, pluribusque priuatis, nec non defunctorum vigilijs publice celebrari, ceu loci huius & collegij fundato-

Q

ribus

ribus procurarent. Eidem quoque attribuit, & quibuscunque successoribus suis diues illud pradium seu vicum Abaim ut ex eius redditibus in annos singulos soluerent D. Sebastiano & ad aram eius offerrent, quam diu supersites forent, triginta aureos illos eidem Sancto olim à parente suo Adalberone l. ex voto promissos, pro obtenta sui incolumitate corporis. Cetera vero sua quae supererant bona, & opes, aequa lance inter se dividendas suis reliquit suum post obitum.

Post hæc decrepitus iam lectoque adherens senex Vdalricus de loco hoc toto, templo imprimis, ac D. Sebastiano bene meritis, primus ordinis sacri D. Benedicti huc introductor & fundator, inuictissimus miles, pietatis simul & equitatis amantissimus octoginta circiter annos natus, postquam ultimum suum valedixisset, hac lucis aura frui desijt, V. Idus Maij anni præfati c10. xx. x. & à filijs atque cognatis debito cum honore hic ad D. Sebastiani juxta Richardem commingem sepulture funus mandatum fuit. Pro quorum suorumque bono animorum, & salute, filius Adalbero Diuo Sebastiano eiusque hic famulus Monachus, ceu apud Deum deprecatoribus, possidendum tradidit pradium seu viculum Haselbach, cum omnibus suis agris, pascuis, pratis, siluis, pro justis & exequijs eomagnificentijs peragendis.

Atque hæc de Vdalrico partim à nobis ex variorum scriptis enucleata, partim ex chartis Eberspergensibus exscripta cognouisti. De varijs vxoribus nulla mentio: sed visi sunt pepercisse conditori cœnobij. Ego probè expiatum aio, quod est peccatum. Vdalricus certè dignus erat, qui in censum Beatorum Boiaria referretur: nunc de Hademunda eius sorore pauca tradamus.



S. HADE.